qui multa egerunt ad resurrectionem iudicii; Tres autem mortuos a domino
resuscitatos in euangelio legimus & forte non frustra; domini quippe
facta non sunt tantummodo facta sed signa; Si ergo signa sunt praeter
id quod mira sunt aliquid profecto significant; quorum factorum significa
tionem inuenire aliquanto est operosius quam ea legere aut au
dire; Mirantes audiebamus tamquam magni miraculi spectacula
ante oculos nostros constituta cum euangelium legeretur quemadmo
dum reuixerit lazarus; si adtendamus mirabiliora opera christi
omnis qui credit resurgit; si adtendamus omnes & intellegamus detestabili
orem mortem omnis qui peccat moritur; sed mortem carnis omnis
homo timet mortem animae pauci; pro morte carnis quae sine dubio quan
doque uentura est curant omnes ne ueniat; inde est quod laborant; labo
rat ne moriatur homo moriturus & non laborat ne peccet ho
mo in aeternum uicturus; & cum laborat ne moriatur sine causa labo
rat; id enim agit ut mors differatur non ut euadatur; si autem
peccare nolit non laborat & uiuit in aeternum; o si possemus excita
re homines & cum ipsis pariter excitari ut tales essemus amato
res uitae permanentis quales sunt homines amatores uitae fugientis;
quid non facit homo sub mortis periculo constitutus; gladio inpenden
te ceruicibus prodiderunt homines quicquid sibi unde uiuerent ser
uabant; quis non continuo prodidit ne percuteretur & post prodi
tionem forte et percussus est; quis non ut uiueret continuo perdere
uoluit unde uiueret & legens uitam mendicantem quam celerem
mortem; cui dictum est naviga ne moriaris & distulit; cui dictum est
labora ne moriaris & piger fuit; Leuia deus iubet ut in aeternum
uiuamus & oboedire neglegimus; non tibi deus dicit perde quicquid ha
bes ut uiuas exiguo tempore in labore sollicitus; sed da pauperi
quod habes ut uiuas semper sine labore securus; accusant nos ama
tores uitae temporalis quae nec cum uolunt nec quamdiu uolunt ha
bent; & nos inuicem non accusamus tam pigri tam tepidi ad capes
sendam uitam aeternam quam si uoluerimus habebimus cum habuerimus non
amittimus; hanc autem mortem quam diligimus si noluerimus habebimus.
Si ergo dominus magna sua gratia & magna misericordia animas
suscitat ne moriamur in aeternum; bene intellegimus tres illos mor
tuos quos in corporibus suscitauit aliquid significare & figura
re.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0205